

D. D.  
DISSERTATIONIS,  
DE  
**NATURA ET INDOLE  
THEOLOGIÆ  
NATURALIS,**

PARTEM POSTERIOREM,

*Consent. Ampliss. Facult. Philos. in Regia Academia  
Aboënsi,*

*Benigne Eruditorum censuræ submittunt*

AUCTOR

**CHRISTIANUS CAVANDER,**

PHIL. MAG.

ET

RESPONDENS

**ERICUS SANNHOLM,**

AUSTRO - FENNONES,

In Auditorio Superiori Die I. Junii Anni  
MDCLVI.

Horis ante meridiem consvetis.

---

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL.

à MONSIEUR

De G O O S

LIEUTENANT-COLONEL à la suite des armées de sa Majesté  
& Chevalier de L' ordre de L' épée.

MONSIEUR

**N**E vous étonnez pas Monsieur je vous en supplie,  
de la hardiesse que je me prends aujourd' hui d' or-  
ner ce petit ouvrage de votre honorable & illustre nom.

Les graces infinies, dont Vous avez daigné par  
pure faveur me donner des témoignages les plus evi-  
dens, dès que j' eus l' honneur & l' avantage d' être  
connu de Vous, Monsieur, n' ont fait autre chose que  
réveiller en moi le profond respect, que je conserve au  
fond de mon cœur pour Votre Illustré Famille. L' occa-  
sion même de pouvoir Vous en convaincre, ne s' étant  
pas plusôt présentée, Nous me permettrez, Monsieur,  
de Vous offrir ces courtes & simples lignes avec toute  
la soumission possible, & de Vous les dédier comme un  
ressouvenir de ma profonde reconnaissance des bontés que  
Vous avez bien voulu, m' accorder jusques ici.

Craignant de plus que mes expressions ne soyent  
pas assés fortes & assés claires pour faire connoître pu-  
bliquement Les Services Signalés que Vous avez rendus  
à la Patrie, je confie à une plume plus elegante &  
mieux parée que la mienne de les depeindre selon leur  
mérite, en Nous priant très humblement, Monsieur,  
d' être persuadé des vœux sincères que je fais au Ciel  
pour la conservation & prospérité de Votre Illustré Per-  
sonne. J' ai l' honneur d' être avec un profond respect

De MONSIEUR

Le très humble & très obéissant Serviteur,  
ERIQUES SANNHOLM.

Kongl. Maj:ts  
Tro-Tjenare och Lieutenant,  
Den Wålborne Herren.  
**Herr BERNDT JOHAN  
AMINOFF,**  
Dina Gunjige Gynnare.

En korta tid jag lyckan åga fåt,  
I ett förmåna hus at wistas,  
Jag nutit har mangfaldigt mera godt,  
Ån af mig wärdige kan upristas.

Om nu den madda jag har nederlagt,  
Då jag sökt Edra Söner föra  
Til wett, kund' swara mot den gunst jag häft;  
Så skall' mig ingen oro röra.

Doch bort med detta djerfva tankefått,  
All gunst jag nutit, bör hänledas  
Från Eder godhet ned al billig rätt;  
Men ej min ringa hjensi tildelas.

Tillåt, jag ber, Wålborne Herr Lieutenant,  
At deje få och ringa rader,  
Få gälla för min rena wördnads' pant,  
Så länge lust och lif jag drager.

Er vynest den ej swara kan emot;  
Er godhet icke wedergälla;  
Men för min swaghets ej fins annat hot,  
Ån jag will tragna fuktar fälla;

At Himmelens med nådig Almagts hand,  
Er lefnad med al milgång lönee,  
Tills döden löjer kropp's och sielens hand,  
Da Gud Er sidst i högden kröner!

Framhärdar

Wålborne Herr Lieutenantens

Administrat. tjenare,  
ERIC SANNHOLM.

KONGL. MAJ:TS

Tro - Tjenare och Lieutenant

Wälädle

Herr SAMUEL MANSNERUS.

Archlie Måstaren

Wälborne

Herr CLAES JEAN BRANDT.

Crono - Befallnings - Mannen uti Haliko Hårad

Ådel och Högachtad

Herr ANDERS MANSNERUS.

Comministern i Kimito Sökn och Dragsfiers Capell

Årewördige och Högwällärde

Herr ERIC DAHL.


Mine samtelige Gunstige Gynnare.

**D**en gunst J, Mine Herrar, städse mig årte behagat, är större, än at min illa skurne fieder den samma tilböriligen afskilda och berömma förmår. Ån mindre finnes något i min förmåga, som til wedergållning deremot swara kunde. Tillåten derföre, Mine Herrar, at detta pappers kram, som nu i ödmiukhet Eder tilskrif- wes, må få wälment få uttolka den högachtning och tacksamhet jag hyser för de åtnutne wålgier- ningar, som den af en uprigtig wålmening hårflöter. Min önskan är, det wille Himla - Magten bekrö- na Mine Herrar med al sielönskelig wålgång och tref- nad, då jag räknar för en synnerlig lycka få nämñas

Mine Herrar Gynnares

ödmiuk - hörsamste tjenare,

ERIC SANNHOLM.



## §. VI.



Evolvimus jam ordine, ad qualitatem seu ipsam intimiorem Theologiae Naturalis in dolem considerandam, cuius Parte Dissert. Priori, possibilitatem & actualitatem evicimus. Et quum quisque facile statim comprehenderet queat, non minus fini propter quem, naturali hac notitia Numen T. O. M. homines instruxit, quam perfectionibus Ejus summis repugnare, si omnes illæ notiones, quas hæc de Deo nobis suppeditat incertæ aut falsæ forent; hinc rationibus firmissimis instructi urgemus: Theologiam Naturalem, non solum in se verissimam & certissimam, (s) sed & simul, in respectu ad nostram a Deo, tanquam Creatore & Conservatore, dependentiam, perfectam nullique mutationi obnoxiam esse. (t)

(s) Nemo, qui a sana ratione prorsus devius non est, Deum aliquid frustra fecisse, dicere potest. Hinc, quoniam benignissimum Numen, menti hominum, facultatem de

rebus judicandi & ratiocinandi indidit, perspicuum est, Eum per summam suam sapientiam, hoc agendo, fin. m certum intendisse. Finis est gloriae Ejus manifestatio. (§. I.) Hæc vero sine vera existentia & attributorum Ejus cognitione obscureri nequit. (§ II. & IV.) Nisi igitur quis inepte & impie dicere velit, aut Deum finem sine mediis voluisse, aut perinde ducere, modo quoconque ab hominibus cognoscatur & colatur; necesse est ut concedat, hominem veras voluntatique Dei conformes, perfectionum Ejus notiones, sibi comparare posse. Ut vero asserti hujus veritas clarius patefacit, breviter in eam inquirete placet. Varias apud Philosophos, rationis vox obtinet significationes, vid.

JUST. CHRISTOPH. SCHOMERI *Theol. Moral. C. III.*  
§. 3. p. 62. sed notissima harum illa est, qua *objective* & *subjective* accipitur. Per rationem objective sumtam, ipsa *principia rationis* intelligimus, quæ in *formalia* & *materialia* dividit, nemo ignorat. Priora ad modum rite argumentandi faciunt, posteriora materiam argumentorum constituunt. conf.

JOH. MUSÆUS de *usu princip. Rat. in Contr. Theol. L. II.*  
*C. II. p. 204. seq.* Illa nostra nunc non sunt considerationis, quare statim supponimus, ea sine vitio esse debere. Quod vero ad hæc attinet axiomata & propositiones ejusmodi universales continent, quæ tam in theoreticis quam practicis, tanta evidentia, veritate & certitudine radiant, ut sua luce assensum cuivis exprimant, a nemineque mentis compote, sine affectata malitia, negari queant. Conf. AB. CALOVII *Gnoſt. C. VII. Cam. V. p. 24.* & BUDDEI *Theol. Moral. P. II. C. II. §. V.* Quod cum ita sit, quis conclusiones illas, quæ ex hisce principiis sive notionibus rerum, evidentissimis, pristinique divini luminis scintillulis in mente nostra adhuc residuis, rite & legitimo nexu ratiocinando eruuntur, immota veritatis esse inficiabitur, aut nos fallere dicat? Fateor quidem, multos sape, in applicatione

horum in se licet clarissimorum & verissimorum principiorum, errare & falsa tradere, probetque ob hanc caussam, veritates rationis, ab hujus vel illius Sectæ aut Philosophi scitis & placitis, esse distinguendas; verum hoc non ipsis principiis, sed aut illorum abusui, aut corruptioni & depravationi per præjudicia aliosque pravos affectus facta, est adscribendum. Pessime ergo hinc infertur, impossibile procul esse, ex ipsis principiis certi aliquid cognoscere & colligere. Certe contrarium omnes illi probant, qui plane & perspicue, tam veritates theoreticas in Theologia Nat. quam practicas in Philosophia Morali, inde demonstrant; quarum & nos veritatum (§. V.) brevissimum exhibuimus compendium.

Si ideo de *ratione subjective spectata* instituitur, tum plurimi quidem dantur, qui eam seduictricem, errorum secundissimam matrem, appellare non verentur; quo spectant multi ex pteudo-Mysticis & Theosophis, ut ROR. FLUDDIUS, VALENT. WEIGELIUS, JAC. BÖHMIUS, HELMONTIUS, cum quibus faciunt DAN. HOFFMANNUS, JOH. ANGELUS WERDENHAGENIUS, JOH. MULLERUS, W SCHILLINGIUS, PET. POIRETUS, nec non MATTH. FLACIUS; Sed hi rationem proprio sensu, pro facultate veritates per naturam intelligibiles rite cognoscendi, non sumunt, sed aut cum POIRETO in Lib. *Fides & ratio collatae &c.* p. 36, pro imaginatione accipiunt, aut illam non probe a præjudiciis & affectibus discernunt, aut cum FLACIO ejusque affectis, corruptionem hominis essentialiem, contra S. S. statuunt. Nos hominem corruptum esse, ex intimo agnoscimus & dolemus pectorē, sed tamen ex Scriptura S. & Ecclesiæ Luther. Theologorum consensu, essentialiam hominis non fuisse immutatam asserimus, verum superesse nobis adhuc post lapsum facultatem, ex principiis rationis notissimis veritates deducendi. Quamvis enim in spiritualibus, ratio sit cæca

& depravata, nihilo tamen minus est & manet facultas, qua homo cognoscit, judicat & vera a falsis discernit. Conf. BUDDEI *Theol. Moral.* P. I. C. I. S. II. §. 23. *Eiusdem Tb. Dogm.* L. I. C. II. §. 33. & RAMBACHII *institut. Hermeneut.* *Sacr.* L. II. C. I. §. V. p. 95. Certe si nulla magis post lapsum, homini, vis veritatem cognoscendi, restaret, tum non magis rationalis, sed brutum foret, adeoque nullius moralitatis capax esset, nec peccati alicujus argui posset; imo *credere non possemus, nisi rationales animas haberemus,* teste AUGUSTINO *Epist. 222. ad CONSENTIUM.* Evidenter ex his colligitur, Theologiam Nat. dum principiis ejusmodi veris, certis & adæquatis superstruitur, etiam veram & certam esse. Testatur hoc quoque S. S. *Rom. I.*, 18. gentium τὰν τὴν ἀληθειῶν, quam ex lumine rationis hauriebant, εἰ αἵδια κατεχόντων mentionem faciens; & *Rom. II.*, 15. ubi Apostolus loquitur de conscientiæ gentilium testificazione, accusatione & excusatione, quæ judicium verum de actionum bonitate aut pravitate supponit. Profecto, nisi veri aliquod & recti judicium, mortalium animis adhuc infixum esset, cognitione ex rationis principiis hausta, vera, qui quælo idem Apostolus *Rom. I.*, 20. gentiles ἀναδογῆται vocare potuisset? His observatis & perpensis, *Scepticismus* per se corruit, cuius inter alios BAYLIUS in suo *Diction. Hist. & Crit.* & HUETIUS in prologo *Demonstrat. sive Evangelicae*, & *Libello de la foibleſſe de l' espricie humain*, usum in Theologia tantopere jactarunt. Etenim nemo non videt, funestissimam Religioni, ne quid de aliis dicam Scientiis, imminere cladem, si adeo incertis, omnis cognition humana, vagaretur fundamentis. conf. BUDDEI *Diff. de Scepticismo morati* §. 3. seq. in *annect. hist. phil.* & *Eiusdem Tb. de Atheism.* & *superst. C. II.* §. 4. p. 213. seq. & C. VI. §. 1. p. 457. seq. LACTANTIUS in *inst. I.* 1. Scepticorum stultitiam optime his verbis exposuit: *Somniasse* ait

ait quendam ne somniis crederet, si enim crediderit, tum sequitur ut credendum non sit; Si autem non crediderit, tum sequitur ut credendum sit. Ita si nihil sciri potest, necessum est id ipsum sciri, quod nihil sciatur. Si autem scitur posse nihil sciri: Falsum est quod dicitur nihil posse sciri. vid. JAC. HILDEEN Disp. De causis variantium sententiarum in foro philosophico, §. 5. p. 10. Präsid. celeb. Prof. PETRO HAHN, Aboæ 1697. Valet idem de *Indifferentismo & Syncretismo*; homo enim veritatem scire potest, ergo etiam ad eandem investigandam & amplectendam obligatur. Nam, neque vir bonus perinde facit, utrum eum ceu circumforaneum æstimes, aut ut virum optime de patria meritum; multo minus Deus.

(t) Hominem a Deo, per creationem & conservacionem dependere, & propter hanc dependentiam, ad Religionem Nat. obligari, ratio agnoscit & inculcat. (§. V.) Verum quod per redemtionem ab illo etiam dependeat, & ad novam Religionem ex eo fundamento sit obligatus, id quidem prorsus ignorat; Scriptura vero S. uti priorem confirmat *Autor. XVII*, 24. 28. ita posteriorem quoque patescit dependendi modum. *I. Pet. I, 17. 18. Eph. II, 10.* Respectu duplicitis hujus dependentiae, duplex hominis existit *Religio, Naturalis* nimirum, quæ Deum tanquam Cre- atorem & Conservatorem considerat, indeque motiva actionum sumit; & *Revelata* sive *peccatoris*, respiciens Deum ut Redemptorem & Liberatorem, simul actionum liberarum ar- gumenta fortissimaque incitamenta suppeditans. (Oritur hinc quoque differentia inter virtutem sive pietatem philosophicam & theologicam.) Utraque hæc Religio, in se & respectu sui finis est perfectissima, officia praescribens ejusmo- di, quorum perfectioni nihil addi potest, & quæ ex du- pli illa cuius mentionem fecimus, hominis ad Deum rela- tione fluunt. Quoniam Religio Rev. hac vice, nostræ non

est considerationis, eam omittimus, nonnullis solummodo verbis, in intiomorem Religionis Nat. indolem inquisituri. Fundatur hæc in hominis, ut creature rationalis natura, & Dei sanctissima immutabilisque essentia Etenim, omnia, quæ hominibus observanda injungit, ejusmodi sunt, ut amice & exactissime cum perfectionibus Divinis conspitent, maximeque ad felicitatem eorum promovendam conducant. Ad finem ultimum, illustrationem videlicet Divinorum perfectionum cuncta tendunt. Hinc non possunt non, uti verissima, ita & perfectissima esse, quum Divina omnino infinitæ perfectioni & sanctitati repugnet, talem a gendorum normam præscribere, quæ aliqua ex parte desiceret, additamento aut emendatione indigeret. Quemadmodum vero Religio Nat. in se perfecta, ita etiam immutabilis est. Deus enim, qui ejus existit auctor, nulli prorsus mutationi intrinseca est obnoxius; quidquid ergo semel voluit, id semper vult, & quidquid noluit, id nunquam non aversatur. Pari modo se res habet, si obligatio hominum spectatur. Nam sicut mortales, continuo a Deo, tam quod ad creationem quam sustentationem sine conservationem dependere perguunt; ita etiam jus sine dominium Ejus sumum in eos nunquam continuare cessat; & ob eandem causam, perpetuo & indesinenter, ad actiones suas, secundum voluntatem Ipsius dirigendas, obligantur. (§. V.) Quoniam igitur, per demonstrata, Religio Nat. perfecta & immutabilis est; sequitur Theologiam Nat. quæ scientiam de hac Religione continet, (§. III.) iisdem gaudere affectionibus.

## §. VII.

**E**X his, quæ de veritate & perfectione Theologiae Naturalis disputavimus, sine difficultate intelligi potest, nullam omnino pugnam inter hanc

&amp;

& Theologiam Revelatam intercedere; sed admiri-  
randa quadam potius, illas se invicem, conformi-  
tate & harmonia exosculari. (v) Quemadmodum  
enim originem suam a Deo repetunt, (x) veri-  
tatesque planissimas & inconcussas continent; (y)  
ita amicissimum spirant consensum, dum inter se  
conferuntur, (z) & in se invicem explicanda,  
corroboranda & confirmanda, mutuas & auxilia-  
res porrigunt manus. (a)

(v) Dum conformitatem Theologiae Nat. & Revel.  
dari statuo, tandem omnino distinctionem observari volo,  
quam inculcare solent Theologorum & Philosophorum non-  
nulli, quando concordiam Rationis & Revelationis ostendere adhucuntur. Alia enim illis est *harmonia* veritatum ex  
ratione haustratum, cum veritatibus revelatis *positiva*, alia  
*negativa*. Illa obtinet, si veritates revelatae, ex rationis  
principiis concipi & demonstrari possunt; hæc, si nulla  
inter Rationem & Revelationem contradic̄tio aut pugna,  
explicita vel implicita, h. e. nec qua literam neque per  
consequentiam, intercedit, quamvis dogma ex ratione cognosci  
nequeat. Quum jam nonnullæ veritates in S. S. contentæ  
sint ejusmodi, ut rationem non fugiant, ob eamque causam  
Articuli fidei mixti a Theologis vocati; aliae autem o-  
mnem ejus vim & aciem superent, & hinc *puri* appellati;  
evidens est, inter Theologiam Nat. & Revel. in articulis  
mixtis conformitatem intercedere positivam & negativam,  
in puris negativam solam. Conf. MUSEI *introd.* in *Theol.*  
*P. II. C. V. Thes. XI.* p. 332. seq. & *Thes. XPI.* p. 341. seq.  
& CARPOVII *Theol. Rev. T. I.* §. 429. Schol. 2. edit. 1753.  
verbo etiam indicare expedit, differentiam inter *veritates*  
*rationis necessarias* & *contingentes*, hoc loco non esse negli-  
gendum. Etenim, quod ad veritates philosophicas neces-  
sarias

sarias attinet, ne possibilis quidem inter Theologiam Nat. & Revel. est discordia aut contradic<sup>tio</sup>. Quod vero ad contingentes spectat, diversa omnino illatum est ratio. Quemadmodum enim earum oppositum est possibile, ita etiam contradic<sup>tio</sup> inter illas & veritates revelatas, posita certa conditione, possibilis est; imo etiam aliquando obtinet, sed quod probe observandum, apparen<sup>t</sup> duntaxat. Conf. LEIBNITII *Dissert. de conformit. Fidei cum Rat. Theol. praemissam.* §. 2. seq. & 21. seq. RIBOVII *Theot. Dog. Sect. II.* §. 97. p. 1197. SCHUBERTI *Instit. Metaph. Schol.* & Ejusdem *introd. in Theol. Revel.* §. 212. *Schol.*

(x) Theologiam Nat. Deum agnoscere auctorem, supra ostendimus. (§. II.) Quod vero Theologia Rev. ab illo etiam originem trahat, id quidem varii Religionis Christ. Infensissimi hostes, in dubium vocare conati sunt, dum non solum omnem Religionem in genere, ex metu hominum, ignorantiaeque caussarum rerum latentium, ortum ducere garriunt; sed imprimis Revelatam, pro invento & callido commento legumlatorum & politicorum, ad homines in officio continendos, impie venditant. Auctor profane hujus opinionis secundum SEXTUM EMPIRICUM fuisse dicitur CRI-TIAS, secundum PLUTARCHUM vero EURIPIDES, vid. BAYLI<sup>H</sup> *Diction. Hist. & Crit. T. II. voce Crityas*, p. 228. Recentius, JORDANUS BRUNUS, JULIUS CÆSAR VANINUS, pseudo-politicorum princeps NIC. MACHIAVELLUS & impudens JOH. TOLANDUS, eandem defendere allaborarunt, Mosenque imprimis maximum impostorem fuisse, nugati sunt. vid. *Theoph. SPIZELII Scrut. Atheism. C. III.* §. 20. Verum ingens e contrario antiquorum & recentiorum est numerus, qui his alisque simplicis veritatis cœlestis osoribus, strenue obviam iverunt, & non solum divinam S:æ S:æ originem, tam quod ad dogmata, quam singulos, qui in ea continentur, versus, verba & vocalium puncta, ostenderunt; (qui ista legere cupit,

qua

quæ hac de re disputata sunt inter eruditos, adeat BRIANI WALTONI *Proleg.* III. ad Bibl. Polygl. imprimis S. 38. seq. AUG. PFEIFFERI *Crit. Sacr.* C. IV. Sc. II. p. 67. seq. & Sc. IV. p. 109. seq. & VAL. ERN. LOESCHERI *Causs. Linguae Ebr. Lib.* II. C. III. p. 275. seq.) sed etiam aliorum Atheorum, Naturalistarum, Indifferentistarum, Gentilium, Judeorum, Muhamedanorum, reliquorumque cuiuscunque nominis Irreligionariorum, argutias & strophas detexerunt, argumenta suo non destituta, sed ad inescandos imperitos callide excogitata, enervarunt, fortiterque eorum ab infernali genio suffultam audaciam represserunt. Pertinent huc illi, qui variis argumentis acerrime pro veritate Religionis Christ. propugnarunt, ut ex Patribus Ecclesiæ JUST. MARTYR, HERMIAS, TATIANUS, ATHENAGORAS, TERTULLIANUS, LACTANTIUS, THEOPHILUS ANTIOCHENUS, CYPRIANUS, ATHANASIUS, CLEM. ALEXANDRINUS, ARNOBIUS, MINUTIUS FELIX, ORIGENES, (in cuius Lib. adversus CELSUM, nostro ævo commentati sunt GVIL. SPENCERUS & MOSHEMIUS,) EUSEBIUS CÆSAREENSIS, AUGUSTINUS. Recentiori memoria idem præstiterunt MARSILIUS FICINUS, LUDOV. VIVES, PET. RAMUS, plenius vero PHIL. MORNAEUS, HUGO GROTIUS (cuius Lib. *de verit. Relig. Christ.* KOECHERUS dissertationibus dilucidavit,) HUETIUS, GEORG. CALIXTUS, HUMFR DITTON, JAC. FOSTERUS, JOH. CONYBEARE, HOUTTEVILLE, ABBADIE, KNUTZEN, STEINIUS, STIEBRITZ, SCHUBERTUS, STAPFER, aliique Catalogum Scriptorum hue pertinentium exhibent FABRICIUS in *Sylsb. Scriptor. de Verit. Rel. Christ.* per quinque priora capita, & in *Bibliotheca Graeca* passim, & auctores quos copiose adserit JO. CHRISTOPH. KOECHERUS in *confessu Thol. universae* p. 466. 467. 468.

Quum igitur utraque Religio, originem suam a Deo, fonte & principio omnis veritatis, repeat, qui sibi contradictorius esse nequit; adparet, Theologiam Nat. & Revel. non dissidere inter se atque discordare, sed amicissima contemplatas esse harmonia; cum voluntate enim & attributis Dei accurate contentiunt, finemque communem, gloriam scilicet Ejus, & felicitatem hominum intendunt. Si revelationis rationi aut experientiae contrarium quid contineret, vel Deus tanquam auctor illius ignorantiae & erroris argendus, vel repugnancia pro veritate habere dicendus, vel denique studiosae mortales fallere voluisse reputandus esset: quorum istud omniscientiae Dei, iudicium contradictionis principio, hoc denique summae bonitati & veracitati Divinae adversatur; verba sunt CARPOVII in *Theol. Rev. T. I. §. 44.* Immo si aliquid in S. S. aut sibi ipsi adversum, aut evidentissimis rationis veritatibus contrarium contineretur, nunquam omnino homines ad illam amplectendam & pro vera suscipiendam, commoveri possent.

(y) Quemadmodum Naturalistæ, quos des esprits forts ideo vocari afferit THEOPH. SPIZELIUS in *Scrutin. Atheismi C. II. §. 7.* quia confirmati sint ad nihil amplius credendum, seu quia ad perfectionem nihil credendi pervenerint, Religionem Christianam multis lecommatibus, calumniis & blasphemias rodere solent, vid. DITTONS *wahrheit der Christ. Rel. P. I. Sect. II. edit.* GOETTEN, ita etiam in S. S. ἀσύτατα varia & ἀσύμφωνα occurrere pleno & ultra modum scurrilitate abundante ore eructare, religioni sibi non ducunt. Sed ringentibus licet his, aliisque veritatis hostibus, viri tamen, quos nuper adduximus, firmissimis evicerunt argumentis, nihil in Scriptura S. absurdum contineri, verum omnia ejus dogmata verissima esse, nec unquam certitudinem suam amittere, prout impie opinatur Anglorum Mathematicus Joh. CRAIGIUS in *Theologiae Christ. principio*

principiis mathematicis. C. II. dum probabilitatem Scripturæ S. (probabilia enim tantum vocat, quæ propter testimonium credimus, sive illud sit divinum sive humanum) pro ratione temporis ita decretum contendit, ut post annos, a nativitate Salvatoris 3150. quemadmodum numerum hunc determinat GOETTEN not. ad DITTONUM L. c. P. II. C. VI. p. 204. vel 3500. secundum OBBARIUM in abhandlung von d. Wunderwerken p. 250. nulla magis probabilitas Religionis Christi. superstis, tumque finem mundi certo imminere, nisi Christus antea adventu suo intervenerit. Ad quem errorem detestabilem incrustandum & palliandum, dictum Luc. XVIII, 8. etiam profert. Nobis, studio brevitätis, horum argumentis diluendis, nostram qualémunque operam impendere, non licet; nec illud opus est. Præterquam enim quod in multis adeo manifesta horum sit stultitia, ut refutatione indigna videatur, a plurimis etiam ad incitas penitus sunt redacti. Rationes hic adferre, quibus divina Scripturæ S. origo & veritas, extra omnem dubitationis ponitur aleam, nimis longum foret, ab institutoque nostro alienum. Notissimæ præterea quoque hæ sunt; ab omnium enim manibus teruntur libri, qui, saltem aliqua, Divinæ Revelationis criteria exponunt. In compendio multa horum legi possunt, in Libello ab OL. RÖNICK Svet. translato: *Beweis at den H Skrift. är Guds Sanfärdiga ord.* vid. etiam sis QVENSTEDT in Syst. Theol. Part. I. p. 140. seq. SCHUBERTUS in Introd. in Theol. Revel. §. 247. & 261. seq. Quoniam igitur nos Theologiæ Nat. veritatem (§. VI.) demonstravimus, & veritas veritati inimica aut contraria esse non potest; patet, enunciata Theologiæ Nat. cum capitibus Theologiæ Revel. inimicis minime concubus configere, conf. CANZIUM de usu Philt. Leib. & Wolf. in Theol. C. I. §. 8. multo minus demonstrationem philosophicam posse dogmati alicui revelato opponi. Vid.

MUSÆUS de usu princip. Rat. in contr. Theol. L. II. C. IV.  
S. 7. seq. & LEIBNITIUS in *Dissert. cit.* §. 24. seq.

(2) Inter modos, quibus conformitatem Rationis & Fidei ostendere conati sunt eruditii, multi specialius scita Rationis cum Revelatione contulerunt, eaque se invicem non destruere, sed egregie potius tam in theoreticis quam practicis concordare evicerunt. In articulis enim mixtis gemina docent Ratio & Revelatio; in puris vero, licet hæ veritates tradat, sphæram rationis longe superantes, non ramen ideo sunt contra rationem, quum nihil omnino fana ratio contra possibilitatem earum obvertere queat. Quando igitur doctrina Evangelii, Græcorum philosophis magis erat, teste PAULO I. Cor. I. 23. erudite, secundum mentem CAMP. VITRINGÆ, observat BUDDEUS in *Theol. Moral. P. I. C. I. Sect. II. §. 23. p. 52.* illorum de hac doctrina perceptiones, non secundum sanam, sed per præjudicia & pravos affectus misere corruptam & exæcatam rationem suis formatas. Facile ex his intelligi potest, captiose omnino BAYLIUM, distinctionem orthodoxorum, inter ea, quæ sunt *supra* & *contra rationem*, ambiguitatis arguisse, dum æque dici posse contendit: *mysteria esse* & *contra* & *supra imbecillam rationem nostram*; quam aperte Scepticismo faventem sententiam, ut & alias ejus, contra præsentem materiam objectiones, præter alios, confutavit LEIBNITIUS in *Dissertat. cit.* §. 63. seq. Quatuor dectero modis, illos vehementer errare, quibus dogmata revelata videntur rationi contraria esse, ostendit Doctiss. TELLERUS not. ad HOLLAZII *Exam. Theot.* p. 69. Falluntur, inquit, in eo: quod, aut rationem omnem cum sua perceptione confundunt, aut falsas hypotheses tanquam vera rationis principia adsumunt, aut principia rationis vera quidem, at nec recte intellecta, & male accommodata, usurpant, aut principia particularia ad aliud veritatum genus transferunt. Illud, quod

quod ad præsentem rem attinet, imprimis prohe cavendum, ne in conformitate rationis & revelationis positiva investiganda, ultra justos limites progrediamur, eaque temere rationi tribuamus, quæ ex sola revelatione nobis constant, ejusque beneficio sunt adscribenda; quo in puncto, multi, nostra memoria, peccant, præfertim vero illi, qui medium reconciliationis, ex ratione derivare non erubescunt, subtilem, eo modo, Naturalismum inculcantes. Ut apertos Naturalistas taceam, de quibus merito ait WERENFELSIUS *Diss. III. de praestant. Rel. Rev. p. 152.* *Naturalistæ, postquam ex sacris literis omnia depromserunt, quae placent, dicunt se ratione invenisse.* Eo cautius hic est incedendum, quo difficilius Philosopho Christiano esse, nemo non animadver- sit, rationis & revelationis limites accurate discernere. Ratio enim revelatione collustrata, seu cui revelatio occasio- nem cogitandi præbuit, non magis est nuda, sed viribus aliunde suffulta, adeoque multum præstat ratione destituta revelatione. Conf. SCHUBERTI *Phil. Præg. §. 69. p. 38.* Nec facile quisquam, licet sagacissimus, rationis, sibi reli- etæ, vim & mensuram, determinare valet. Fusus in har- moniam Theologiae Nat. & Revel. inquirere, supervacane- um foret, quum difficultates, quæ hanc premunt controver- siam, ex allatis tolli queant, plurimique antea, ex instituto hanc materiam excusserint; ex quibus, duos saltem vi- ros celeb. in alma hac nostra Musarum fede, nominasse sufficiat, nimirum JOH. HAARTMAN in *dissert. discordem concordiam & discordiam Philosophiae cum Scriptura S. arguen.* Præf. Celeb. Prof. ISAACO VÖHLMANN, 1706. & Nob. JOH. GEZELIUM OLIVECREUTZ, in *Diss. de Consensu Rationis & Fidei*, Præf. Celeb. Prof. HAS- SEL, 1744.

(a) Quamvis dogmata Theologiae Nat. in se clarissi- ma sint, (§. VI.) non tamen inde concludere licet, revela-  
tionis

tionis nullos respectu illorum esse usus, nulla beneficia.  
 Etenim homines, propria culpa, in eum redacti sunt statum, ut propter intellectus tenebras, socordiam, pravarumque cupiditatum dominium, Theologiæ Nat. in se clarissima principia non satis intelligent, & perspiciant, sed in varias errorum syrtes & scopulos facile incident, quos evitare nunquam potuissent, nisi revelatio, veritatum Religionis Nat. tam theoreticarum quam practicarum lucem & nitorem pristinum in mentibus eorum restituisset. Testatur hoc, misera Theologiæ Nat. conditio, apud gentes revelationis beneficio destitutas. Sic antiquos Chaldaeos, Aegyptios, reliquosque barbarorum nomine insignitos populos, nec non Graecos & Romanos, vera veri Dei cognitio-  
 ne & cultu caruisse, & vel in longe ineptissimam superstitionem, vel idololatriam, vel denique atheismum præcipites ruisse, ea, quæ de illorum Theologia supersunt documenta, loquuntur. Quod ad majores nostros tam Fennones quam Gothos attinet, vid. NIC. HAHN Disp. *de Sacris antiquorum Hyperboreorum*, Praef. Celeb. Prof. TORST. RUDEEN, Aboæ 1703. Constat idem de gentilibus hodiernis, ex quibus, ne multus sim, Sinenses tantum exempli loco adferre libet, de quorum Philosophia & Theologia, multum, nostro ayo, certatum esse novimus, postquam IS. VOSSIUS, SPIZELIUS, LEIBNITIUS, CHRIST. WOLFIUS & BULFINGERUS eandem magni facere, alii vero opinionem eorum minuere coepertunt. Vid. BRUCKERI *Hist. Crit. Pbil. T. V.* p. 846. Hos vera Theologia destituti testatur REIMANNUS in *Hist. Pbil. Sinens.* p. 6. Immo, communi litigantium suffragio, Sinenses hodiernos, præter illos, quos lux Christianismi illustravit, atheos esse, rotundo ore multi viri magni fatentur. Merito ergo de his, illud S. PAULI *Rom. 1, 22.* exclamans: Φάσαντες ἔται σοφοι, ἐμπαρθησαν. Contra ea vero, apud

apud gentes divino lumine persusas, Theologia Nat. non solum viget, sed & pure docetur. Non tamen ideo Theologia Nat. in se, magis imperfectionis aut alicujus obscuritatis argui potest, quod puritatem, apud gentes, quas revelatio deficit, in ea desideremus, quam Scriptura S. propterera, quia multa in illa *οι αναγεννησαντοι σπελλωσαντοι.* 2. Pet. III, 16. Nec exinde, quod Theologiam Nat. per Revelatam dilucidari & confirmari statuamus, magis ad prioris obscuritatem aut imperfectionem argumentari licet, quam ex veritatum philosophicarum clarissimarum explicacione, in usum tirorum aut ingeniorum stupidorum facta, ad earum obscuritatem in se, concludere fas est. Non enim sequitur: *Quidquid per suam naturam nulla obscuritate laborat, id non indiget interpretatione, quid enim de divinis literis diceremus, si principium hoc obtineret,* inquit SCHUBERTUS in Phil. Pract. §. 163. ubi contra TREUERUM disputationat, qui in not. ad PUFEND. de O. H. & C. L. I. C. XVII. §. I. leges naturae interpretatione opus non habere contendit. Theologia Nat. relative spectata, obscura dici potest, & ob eandem caussam, illam per revelationem dilucidari dicimus; sed absolute considerata, clarissimas & perfectissimas continet veritates. Quod vero Theologia Nat. vicissim, in veritatibus revelatis explicandis, corroborandis & defendendis, usum egregium praestet §. IX. ostensuri erimus.

### §. VIII.

**Q**uamvis Theologiam Naturalem, in se, non solum veram & perfectam, sed & cum Revelata optime consentientem esse, (§. VI. & VII.) demonstraverimus; pessime tamen inde infertur: Theologiam Revelatam non solum non necessariam

riam, sed & prorsus superfluam & impossibilem esse. (b) Non enim ex una eademque hominis ad Deum relatione fluunt, (§. VI. t.) nec una alteram tollit, verum supponit & confirmat; (§. VII. z. a.) licet decetero ingenti discrimine inter se disjungantur, quatenus Naturalis, profundam hominum miseriam, mediaque ad salutem, sive modum Deum reconciliandi penitus positive ignorat; (c) Revelatio vero, originem intimioremque corruptionis indolem detegit, & medii reconciliacionis non solum summam necessitatem, sed & possibilitem & actualitatem ostendit; addens simul motiva, fortissimaque incitamenta, quibus homines, ad officiorum suorum observationem commoveantur. Ut taceam, Revelatam, quod ad cognitionis claritatem & evidentiam, in ceteris etiam multum Naturali praestare.

---

(b) Unam tantum religionem, eodem manente hominum statu, veram esse, omnes facile largientur, qui cogitant, aut Deum alioquin fieri mutabilem, aut duas contrarie oppositas sententias, simul veras esse debere; quorum utrumque falsum, conf. SCHUBERTI *introd. in Theot. Rev.* §. 159. Dum igitur in antecedentibus, Theologiam Nat. veram esse asseruimus, de industria omnino addidimus, *in se*, quum, si respectus habeatur ad presentem mortalium conditionem, h. e. ad statum corruptum, neutquam magis vera & perfecta dici queat, i. e. sufficiens ad aeternam nobis salutem conferendam; licet etiamnum, in relatione ad statum primaeum, & nostram dependentiam a Deo tanquam Creatore & Conservatore, sit & maneat verissima & perfectissima. Facile hinc dirimi potest controversia, circa determini-

terminandum finem Legis Naturalis exorta, quem alii cum PUFENDORFFIO in *Praef. Lib. de O. H. & C. §. VI.* tantum ambitu hujus vitæ includi, alii vero cum LEIBNITIO in *Epist. censoria ad eundem Lib. §. 6.* futuram etiam vitam seu felicitatem respicere & intendere, contendunt. Utrumque enim recte dicitur, diverso tamen respectu. Nam in se, & quod ad hominem integrum spectata, æternam omnino hominum felicitatem pro fine habuit; conf. MUSÆUS in *Introd. in Theol. P. I. C. II. Thes. VI. & XIII.* & BECKMANNUS in *instit. Theol. Proleg. C. I. §. 4.* si vero corruptus, in quo jam vivimus, status consideratur, non magis quam temporalem, ejus ope, consequi valemus felicitatem. Vid. WALCHII *Lex. Phil.* p. 1270. seq.

Naturalistæ, & inter illos præcipue TINDALIUS in *Lib. Christianity as old as the creation*, ex veræ religionis unitate & naturalis perfectione & immutabilitate, revelationam omnem ut impossibilem aut supervacaneam acerime impugnavit, dum hunc in modum ratiocinatur: Religio Nat. non potest non media tam perfecta præscribere, ut illis nihil vel accedere vel decadere queat, a Deo enim nihil, nisi perfectum, proficiisci potest; quum autem finis, quem Deus obtinere vult, sit hominum felicitas, eundemque tam Naturalis, quam Revelata Religio intendat, debent etiam ambæ in regulis præscribendis convenire, & ob eam rationem, media utrumque esse eadem, revelationemque adeo aut impossibilem esse, propter immutabilitatem religionis naturalis, aut superfluam propter indentitatem cum naturali, vid. *Lib. cit. vers. germ. C. VI. p. 98. C. VII. p. 113. seq. C. IX. p. 173. seq. & La Bibliothèque resonnée T. V. p. 275.* ubi etiam scripta eristica, propter hunc TINDALI librum edita, passim memorantur. Sed fallit omnino & fallitur TINDALIUS, omnesque cum illo hic facientes, quorum prohdolor! ingens est multitudo. Religionem Nat. officia perfec-

etissima creaturæ rationali præstanda præscribere, concedimus & urgemos; imo per hujus accuratam observationem, æternam felicitatem homines consequi posse, si modo ita dem, quibus in statu integritatis gaudebant, viribus adhuc essent instructi, contendimus; verum postquam has per lapsum amisimus, via etiam ad æternam felicitatem, per media, quæ cognitio naturalis nobis præscribit, facta est impossibilis; non quidem a parte Dei, aut ob cognitionis naturalis imperfectionem, sed ob defectum virium in nobis illi satisfaciendi, & ignorantiam mediæ reconciliationis. Non igitur perfectio aut immutabilitas Religionis Nat. obstitit, quo minus Deus, ex infinita sua, erga genus nostrum, bonitate & misericordia, alia jam existente nostra conditione, alium etiam nobis patefacere potuit salvandi modum, unde nova nostra ab illo, tanquam Redemptore & Mediatore, oritur dependentia, nova obligatio, officia nova, nova religio, quæ in hoc statu unice est vera, perfecta, & ad æternam beatitudinem gloriosam consequendam sufficiens; quæ tamen mutationem voluntatis in Deo non infert, nec priorem imperfectionis aut falsitatis arguit, neque abolet, licet insufficientiam ostendat. Valeret aliquomodo hæc TINDALI argumentatio, si revelatio, eundem salvandi modum, seu easdem tantum veritates proponeret, quas ratio antea inculcat, aut si illas destrueret; sed alia jam est res, dum summam & centrum revelationis constituant mysteria, ad salutem absolute scitu necessaria, rationis captum licet superantia, ei tamen non contraria. Copiosus perutilem hanc distinctionem exponere, simulque Achillea Naturalistarum argumenta, quæ ex hoc, cuius meminimus, fonte pertinent, excutere jam possemus; sed otium nobis fecerunt, præter Anglos JAC. FOSTERUM, & JOH. CONYBEARE, vid. RIBOVII *Theol. Dog.* S. 105. KNUTZEN, in *Philosoph. Beweis von der Wahrheit der Christ. Rel.* p. m.

240. seq. RIBOVIVS in Lib. Beweis das die geoffenbarthe  
religion nicht könne aus der vernunft erwiesen werden §. 48.  
seq. in primis vero SCHUBERTUS in gedanken von der  
wahrheit der Cbrift. Relig. C. VIII. & in introd. in Theol. Rep.  
§. 160. & 319. & STAPFER in Theol. Pol. T. II. C. X.  
§. 77. seq. & 114.-132.

(c) Quemadmodum ex ratione demonstratur, omni-  
modam nostram a Deo dependentiam, actionum nostrarum  
exactissimam, cum Religione Naturali requirere conformita-  
tem; (§. V. 1.) ita etiam ex consideratione perfectionum Di-  
vinarum, & sine ultimo creationis, concludimus, ad mini-  
mum ductu recta rationis concludere debemus, homines ab  
initio, iis fuisse ornatos perfectionibus, iis instructos viri-  
bus, ut religionem hanc servare, & per illam salvari potuis-  
sent. Si vero porro, remotis præjudiciis, ad propriam  
conscientiam, actionumque nostrarum conjectaria, candidate  
attenderimus, adparebit, nos jam in eo esse constitutos sta-  
tu, ut non solum Legem Nat. fæpissime transgrediamur, sed  
ne possibile quidem nobis magis esse, propter naturæ no-  
stræ ad mala proclivitatem, ad bonum vero tarditatem, il-  
lam, quod ad omnes minimas circumstantias interne & ex-  
terne, exactissime implere. Hinc aliquomodo ratio perspi-  
cit, conditionem hominum aliquando meliorem sive perfecti-  
orem fuisse, licet qua occasione, tempore & modo, ex pri-  
mæva hac sua perfectione defecerint, determinare non va-  
leat, lapsum enim, ceu speciale factum, penitus ignorat.  
Conf. omnino WALCHII Lex. Abit. p. 310. 311. REIN-  
BECKII Meait. in Aug. Conf. P. I. p. m. 262. & P. III. p.  
m. 305. præsertim vero JOH. FRID. KRYGERS Naturl.  
Theol. III. del. p. 117.-147. Sicut igitur ratio agnoscit ori-  
ginem mali, a Deo neutquam esse repetendam, verum ho-  
mines propria culpa, e concreata perfectione defecisse, &  
impotentiam legem Ejus servandi sibi contraxisse; ita quo-

que probe intelligit, summum Dei jus, & nostram obligationem, ad obedientiam perfectam Ei præstandam, hanc obcausam non cessare, conf. CARPOVII *Theot. Revel.* T. I. §. 5. & KRYGERUM l. c. p. 156. seq. Quum vero, non solum teste propria conscientia, & quotidiana experientia, sed fatentibus etiam gentilibus, Lex. Nat. a nobis non observetur, verum quotidie negligatur: *peccavimus enim omnes*, inquit SENECA de Clementia L. I. C. VI. p. 261. *alii graviora, alii leviora, alii ex destinato, alii forte impuniti* . . . *Nec delinquimus tantum, sed usque ad extremum aevi delinquemus*; & HORATIUS Serm. L. I. Sat. 3. v. 68. *vitis nemo sine nascitur, optimus ille est, qui minimis urgetur*; patet, Deum sanctissimum, per hanc legis transgressionem laedi, Eumque propter summam, qua simul gaudet justitiam, ejusmodi peccata punire; adeoque nos in æternum infelices fore, nisi Ille aliquomodo reconcilietur.

Ne autem quis, nimis rotunde nos dixisse afferat, dum rationem, necessitatem satisfactionis pro transgressione Legis Naturalis, aliquomodo perspicere, statuimus, præsertim, quum *magnio in eam sententiam iverint consensu gentiles, adeo se homini facultatem recte vivendi, & a vitiis se convertendi ad virtutem, idque propriis viribus, prout loquitur BUDDEUS in Theol. Moral. P. I. C. I. Sct. II. §. 23. not.* obserandum omnino, quod lubenter concedamus, admodum, insufficientem imo fluctuantem esse illam, quam ratio hic nobis suppeditat cognitionem, intimior enim humani generis corruptio & peccati atrocitas eam latet, quare lapsus minimos, & motus contra voluntatis consensum surrepentes, non facile pro delictis aut reatu habebit, sed potius per congenitam quandam necessitatem se hæc fecisse, existimat. Interim tamen, quum facile videat, neminem mortalium, per integrum vitam, ita exacte Legem Nat. observasse, ut non aliquando, animo destinato, eam sit transgressor; ad mini-

minimum pro his delictis, compensationem necessariam esse judicat, etiamsi decetero non solum plane ignoret, num aliquod compensandi & reconciliandi medium sufficiens existat, sed &, num possibile sit, aut quale esse debeat, ne sciat. Neque Naturalistæ philosophici, Deum satisfactiō nem pro transgressione Legis Nat, postulare negant, saltem illam non esse necessariam, nunquam demonstrarunt. Quid multis? ipsos gentiles, Numen aliquod mala vindicans agnoscisse, & eos præcipue, qui immortalitatem animæ credebant, variis illud modis placare studuisse, certum est, licet veram hoc faciendi rationem penitus ignorarent. Ad tres classes, modi illorum Deum placandi, commode redigi possunt, vid. BUDDEI *Theol. Dog.* L. I. C. I. S. XVII. & STAPFERI *Theol. Pol.* T. II. C. IX. §. XVIII. aut enim per varios ritus, cæremonias, lotiones & sacrificia hoc obtinere studuerunt; aut per rigidam Juris Nat. observationem, virtutis sive pietatis philosophicæ exercitium; aut denique per preces & poenitentiam: *Deos enim placatos pietas efficit*. **S**anctitas ait CICERO *de off.* L. II. C. III. & quem bene paret peccasse est innocens inquit SENECA TRAGICUS. Sed quod ad primum attinet momentum, unde quæso ratio cruciatus variis & tormenta sive cultum onerosum sponte suscepimus, Deo placere, aut Illum cæde cruenta & oblatione animalium placari posse, colligit? potius ab his natura abhorret humana. Traditioni ergo & non rationi hæc originem suam debent. vid. HOCHSTETTERI *Colleg. Pufend. Exerc.* IV. §. 39. BUDDEI *Hist. Eccles.* V. *Test.* T. I. P. I. *Sect.* I. §. 30. *Ejusdem Theol. Dog.* L. I. C. I. §. 23. p. 20. seq. & SCHUBERTI *Phil. Praef.* §. 888. Rigidum vero virtutis studium, seu emendatio vitæ & poenitentia, quam etiam ex Naturalistis imprimis urgent CHAUVINUS & CHERBURY, sunt ejusmodi officia, qualia Deus semper requirit, adeoque non tollunt, quod antea est delictum, par-

ter ac sur non amplius surando, non quod abstulit antea, restituit; & hinc nec Deum expiant. Conf. BUDDEI *animadvers. in CHAUVINI Lib. de Rel. Nat. C. I. in parerg. a. et ad. p. 401. seq.* CARPOVII *Theol. Nat. §. 711. Schol. & RIBOVII Theol. Dog. Sess. II. §. 66. p. 1177.* Idem de precibus valet, non enim iustitiae divinae satisfaciunt, nec ratio sibi certo polliceri potest, has Deo offenso placere. Leg. KRYGER. *I. c. p. 160. seq.* Luculenter ex his adparet, rationem circa medium, quod pro commissis peccatis, satisfactionis loco esse posset, prorius cœcutire, licet aliquo modo expiationem necessariam esse agnoscat. Quid ergo de recentiorum illorum Philosophorum conatibus & audacia sit sentiendum, qui duce CARPOVIO *in Theol. Rev. T. I. Praecog. C. I.* & JOACH. HARTMANNO *in vernunftsmässige Beweis von der nothwendigkeit und wirklichkeit eines Erlösers,* ex ratione, non solum medii reconciliationis summam necessitatem, sed & Mediatoris οεαυσπώτη possibilitatem, requisita, necessariamque actualitatem demonstrare conati sunt, pronum hinc est intelligere. Hos certissime Theologiae Nat. & Revelatae limites confundere, *μεταβάνεις αλλα γέγονο committere*, nec tam SOLONIS consilium, dum inquit: *νέα μεταρρύθμισι sequi*, quam potius ratione abuti, multi veritatis candidi defensores ostenderunt, facileque ex dictis evincitur, licet variis coloribus, hanc suspicionem a se amoliri studeant. Quamvis enim omnes rationis loculi hic visitentur, summoque studio Philosophi sagacissimi & acutissimi, intelligentiam suam explicare & excutere anicantur, nunquam tamen in principia, unde haec veritates deduci queant, incident. Etenim, Deum sibi ipsi satisfacere, personam rei & judicis, salvi suis perfectionibus, sustinere, aut velle aut posse, omnem rationis vim & aciem superat. Egregie ergo hoc verba CICERONIS *Lib. IV. G. 39. Academ. quadrant;* *Latent ista traxis occulta tenebris, ut nulla*

nulla acies ingenii humani tanta sit, quae penetrare in cælum possit. Quid? quod S. S. Trinitatis mysterium, horum naturientium philosophia, rationi notum supponat, quod tamen eam fugere ipsi fatentur, nec irrito solum conatu, verum cum nota summæ audaciæ THEOPH. PARACELSUM, BARTH. KECKERMANNUM, AND. RYDGERUM, NIC. SMITTERMUM, JOH. TOLANDUM, PET. POIRETUM, aliosque, ex naturalibus principiis illud indagare & demonstrare voluisse; quum mysterium hoc, ut & omnia alia, teste JUST. MARYTYRE, sit ὑπὲρ ιδεῶν, ὑπὲρ λόγων, ὑπὲρ κατάληψιν χιστῆς φύσεως τὰ μυτερά. Quoniam igitur doctrina hæc, ab omni Philosophia & humano acumine est remotissima, vid. Rom. XVI, 25. 26. I. Cor. II. integr. Coll. I, 26. 27. I. Tim. III, 16. conf. etiam RENNERI antea cit. Disp. & SVEN BÆLTERS Tract. Guds Sons mennisko blifwande &c. p. 22. seq. quid mirum? quod illi, qui aut religionem in rationis suæ orbem cogere ejusque decempeda mysteria in Script. S. obvia demetiri volunt; aut omnium veritatum nexum & modum possibilitatis, curiosius quam decet, rimantur; aut denique, qui obsfirmata malitia, virus acerbitalis suæ in Christianam Relig. evomunt, mysterium satisfactionis JESU CHRISTI, aut absurditatis & contradictionis insimulent, aut necessarium fuisse insufficientur. Pertinent huc præter SOCINUM ejusque asseclas, impudentissimus DIPPET, E. MOLINUS, EDELMANNUS, quos multi ex professo refutarunt; ut & FOSTERUS, J. LOCKIUS, JAQUELOTIUS, EPISCOPIUS, nonnullique alii sectis Calvinianorum & Arminianorum addicti, quorum mentionem system. Theolog. &c. passim injiciunt, refutationemque suppeditant. Graphice hujusmodi homines depinxit de la MOTTE:

Tel esprit fort, soi disant infallible,

Nie avec même orgueil, tout ce, qui le surprend,

Je

*Je ne le conceois point, donc il est impossible.*

*Vrai syllogisme d' ignorant. vid. GOETTEN not. ad DITTONI L. c. Part. III. C. V. Sect. IV. p. 355. Addimus his verba TERTULLIANI in praescriptione C. X. & XIII. Semper quaeremus, & nunquam omnino credemus? Cedat curiositas fidei. Adversus regulam nibil scire, omnia scire est.*

Ex his, quæ hucusque disputavimus, facile intelligitur, Theologiam Nat. ad viam nobis cum Deo in gratiam redeundi ostendendam, æternamque salutem consequendam, prorsus insufficientem esse; ratio enim in veritatibus, quæ huic fini obtinendo inserviunt, est *caeca*, 2. Cor. IV, 4. *obscurata*, Eph. IV, 18. *tenebrae*, Eph. V, 8. *cù δι γνῶσην τῆς ἀληθείας* 1. Cor. II, 14. Actum ergo de omnium hominum salute fuisse, nisi Deus ex immensa sua sapientia & bonitate illis per revelationem succurisset. Conf. Apol. Aug. Conf. art. de Justif. p. 66. & MENOZA T. I. p. 64. seq. Quanto altius veritatis hujus certitudo, mentibus nostris est infixa, tanto vehementius ex intimo dolemus corde, opinionem de sufficientia Religionis Nat. ad salutem, contentaque Reuelatae, nostra ætate, non solum apud exterros, in *Anglia* imprimis, *Batavia*, *Gallia* & *Germania* multis arrisisse, acerrimosque defensores naçtam esse; sed eandem pestem, haud paucorum etiam apud nos, animos infecisse. Decetere, non unius generis est Naturalismus, nec unam eandemque significacionem apud eruditos obtinet; nonnulli enim in subtiliorem & crassiore eum dividunt, quibus alii crassissimum addunt, alii in philosophicum & theologicum, alii aliter. vid. BUDDEI Theol. Moral. P. I. C. I. Sect. II. §. 30. STAFFERI Theol. Pol. T. II. C. X. §. II. & CHRISTOPH GOTTLÖB GRUNDIGS *geschichte und beschaffenheit der heutigen Deisten und Freydencker.* p. 7. seq. Imo nec Philosophi & Theologi una eademque ratione vocabulum hoc sumunt; illi enim voce hac, eos denotare solent, qui nullam

iam nisi Naturalem concedunt Religionem; hi illos, qui Naturalem ad salutem sufficere contendunt. Vid. BUDDEI *Isagog. Lib. Post. C. VII. §. X. p. 1203.* & PFAFFII *introd. in Histor. Theol. Literar. P. II. p. 10. - 12.* Fusius hisce recensendis supercedemus, quum prater alios, BUDDEUS in *Theol. Dog. L. I. C. I. §. 53. p. 70. 73.* & *L. III. C. II. §. 35. p. 616. - 630.* non solum copiose ostendat, Naturalismo favere *Gentilismum, Judiasmum, Pelagianismum, Pax-pismum, Socinianismum & Arminianismum,* quibus addimus *Muhamedanismum & Ecclesiam orientalem;* sed & multos, qui communi suffragio, Naturalistæ vocantur, enumerat: ut *Puc-cium, Campanellam, Herb. de Cherbury, Postellum, Bodinum, Chauvinum, aliasque.* De illis, qui nostra memoria Religionis Revelatae fundamenta convellere conati sunt, leg. GRUNDIG *L. r. C. VII. §. II. p. 88. seq.* Plures ex illis peti possunt, qui ex professo de Naturalismo exposuerunt, quos excitat RIBOVIUS in *Theol. Dog. §. 100.* Nos jam §. VII. x. eos adduximus, qui in veritate Revelationis Christ. summa cum laude, contra quosvis ejus impugnatores, vindicanda, ingenii nervos intenderunt. Conf. adhuc sis, BUDDEI *Isagog. I. c. p. 1205. seq.*

## §. IX.

**E**VOLUTIS, pro instituti ratione, generalioribus Theologiæ Naturalis affectionibus, unusquisque jam facillime, tam de egregia, qua Scientia haec se commendat utilitate, (*d*) quam necessitate, (*e*) præsertim intuitu illorum, qui studio Theologiæ se consecrarunt, judicium ferre potest.

---

(*d*) Egimus §. præced. de illis, qui nimis rationem elevant, tantumque illi adjudicant preium, ut etiam mysteria

steria ei pervia esse contendant, quos omnino in excesso peccare ostendimus. Nunc illorum quoque paucis mentitionem injiciemus, qui in defectu peccant, quo melius nos media, eaque tutissima via incedere queamus. Nonnullos jam §. VI. s. eorum nominavimus, qui iniquum de ratione tulerunt judicium; possemus his addere non solum multos Patrum & veterum Ecclesiae Doctorum, qui acriter & acerbe de philosophia locuti sunt; sed & mediis recentiorisque avi doctores, imprimis ex secta Anabaptistarum, aliorumque Enthusiastarum & Fanaticorum, qui eam, aut opus carnis, impuram & diabolicam vocarunt, aut Scripturæ S. inimicam & contrariam considerantes, usum ejus in Theologia penitus tollere adgressi sunt, vid. WALCHII *Lex. Phil.* p. 406. 1997. seq. & BLUDDEI *Agog. Lib. Prior. C. IV. §. XXIII. p. 211. seq.* & *Lib. Post. C. III. §. V. p. 494. seq.* quorū etiam spectant Pietistæ, quorum nonnulli omne convictionum & maledictorum genus in philosophiam conjecterunt, strepitumque intellectus eam appellarunt; vid. FECHTII *Lect. Theol. in Syllogen, Disp. I. §. XI. p. 22. seq.* verum his copiosius enumerandis, immorari non vacat nec luet. Non negamus, olim per philosophiam gentilium, Christianæ Relig. dogmata fuisse depravata; leg. MOSHEMI *comment. de turbata per Platonicos Ecclesia, innex. CUDWORTHI Syst. Intell.* hodieque orthodoxiam, ex philosophia imprimis sectaria & contemplativa, non mediocre dampnum capere posse; sed hæc omnia non rationi aut philosophiae per se, verum ejus abusui tribuenda esse, omnes cordati fatentur & contendunt. Actum omnino ageremus, si hoc loco copiose de usu rationis in Theologia, seu de utilitate, quam, sobrium philosophiæ studium futuro Theologo pollicetur, commentari inciperemus, postquam tot viri doctiss. hanc messem messuerunt. Admodum enim difficulter, dogmata revelationis intelligere, propone

tere & defendere possemus, nisi ex philosophia, non solum  
 artem defendi, dividendi, concludendi & demonstrandi  
 perspectam haberemus; sed & logomachias evitare, nervum  
 probationis in scriptis hereticorum explorare, petitionem  
 aut falsitatem principiorum ab illis adhibitorum ostendere,  
 paralogismos, sophismataque detegere disceremus. Conf. JOH.  
 GERHARDUS in methodo studii Theol. MEISNERUS in  
*Phil. Sobria*, præsertim ab initio, MUSÆUS de *usu prin-*  
*cip. rat. in controv. Theol.* REINBECKIUS in *Praef. ad P.*  
*I. II. & III. Meit.* in *Aug. Confess.* CANZIUS de *usu Phil.*  
*L. & IV. in Theol. Discurs. prælim.* & alibi passim, BUDDE-  
 US in *Utagog. Lib. Prior. C. IV.* RAMBACHIUS in *Hermes-*  
*nat. Sacr.* & quos ille p. 99. excitat. Nos, pauca duntaxat,  
 de utilitate Theologiae Nat. adferamus; excellentiam ejus ex-  
 ponit SENECA ab initio *Quæst. Nat.* imprimis in *præf. ad*  
 Religionem, ultimum & firmissimum societatis humanae esse  
 vinculum, certissimum est. Nihil enim tantam vim & effi-  
 caciam in moventis hominum animis, actionibusque eorum  
 dirigendis & determinandis, ad securitatem & felicitatem  
 reipublica obtinendam hahere, ac metum summi Numinis,  
 renitentibus licet TOLANDO, BAYLIO, aliisque, vid. STOL-  
 LIU *introd. in Histor. Lit. Phil. Part. II. C. III. §. 44.* &  
 WALCHII *Lex. Phil. p. 140 seq.* multi ostenderunt. Conf.  
 GROTIUS de *J. B. & P. Lib. II. C. XX. §. 44.* cum com-  
 ment. GUILJELMI van der MUELEN, PUFENDORF-  
 FIUS de *J. N. & G. Lib. II. C. IV. §. 3.* & not. 4. BAR-  
 BEYRACII. *Ejusdem Lib. de O. H. & C. Lib. I. C. IV. §.*  
*IX. cum not. TREUERI.* QUISTO Q. FALKENGREEN in *de-*  
*monst. de Atheo insociabili, Thes. I. Praef. Celeb. Prof. JOH.*  
*HERMANSSON*, *Upfaliæ 1722.* & Mag. AND. FLOD-  
 MAN in *Diss. Religionem ut nobilius actionum motivum se-  
 stente, ibid. 1751.* Quum vero Theologia Nat. sit scientia  
 de Religione Nat. (§. III.) patet, illam primum in Polit-

ea, utilitatem nobis adferre haud contemnendam; quare etiam PLATO non immerito, *religionem propugnaculum potestatis ac legum, & honestae disciplinae vinculum vocat*, teste GRO-TIO l. c. Quod quamvis ita sit, a nostra tamen, longissime illorum sententiam abesse, qui religionem, tantum propter fines politicos, excogitatam esse dicunt, jam §. VII. x. indicavimus. Quanta hæc porro in Philosophia Morali & Physica, nobis emolumenta præstet, pluribus exponere jucundissimum quidem foret, sed hac vice non vacat. Ad utilitates ejus in Theologia Rev. si attenderimus, egregie omnino prorsus illæ sunt; *bases enim & fundamenta omnia religionis sunt notiones, quas haec continet, fatente BUDDEO in Theol. Dog. L. I. C. I. S. XIX.* Veritates in illa demonstrantur, quibus veritas Scripturæ S. innititur, & quas illa antea notas supponit, quamvis postea eas dilucidet, illustreret, confirmet. Sic per totam S. S. existentiam Dei ubique, etiam inter gentes, tanquam certam & exploratam supponi, & nullibi direkte probari, observat WEISMANNUS in inst. Theol. Exegetico-Dog. p. 166. cui pollicem premit RIBOVIVS in Theol. Dog. §. 232. Perspecta Theologiæ Nat. insufficiencia, eaque cum summa Creatoris bonitate compata, paedagogia nobis pulcherrima subministratur, ope cuius non quidem formaliter convertimur, attamen occasionaliter quasi manuducimur, ad ulterius de Deo inquirendum, revelationisque adeo necessitatem agnoscimus, unde plenius de via ad salutem informari queamus. Conf. HOLLAZII Exam. Theol. Part. I. C. I. qu. VII. BUDDEI l. c. §. XX. & BENZELII. Reper. Theol. p. 5. qu. VIII. Denique non necessitatem solum revelationis ostendit, sed illam quoque possibilem esse evincit, characteres & criteria, unde a revelationibus spuriis distingvatur, tradit; quorum supra sunt, ne quidquam Theologiæ Nat. contrarium contineat, sive dogmata concernat sive cultum, sed accurate defectum ejus

ejus suppletat. Ultimo criteria hæc ad Script. S. adplicat, illamque revelationem vere Divinam complecti, extra dubitationis aleam ponit. Ut taceant, illam quoque ad accusatius naturam & gratiam distingvendam, multum facere; quæ res magni momenti est. Ex his strictum allatis, haud obscure constat, Theologiam Nat. apprime Revelatae inservire. Quantum has ob caussas, propædeumata sive prænotiones hujusmodi Theologicas commendaverint, G. CALIXTUS, MUSÆUS, LOESCHERUS, SCHUBERTUS, REUSCIUS, N. WALLERIUS, aliquæ, notissimum est. Conf. etiam BUDDEI *Istog.* Lib. Pr. C. IV. §. 1.

(e) Non cuivis Christiano, philosophiæ studium necessarium esse dicimus; nec singulis, qui in dogmatibus sanctioris Theologia addiscendis operam navant, patem esse ejus necessitatem judicamus. Eos, qui supra vulgus sapere, sive ad sublimiorem eruditionem & dignitatem per venire adspirant, majores hic etiam progressus facere debere, per se clarum est. Neque tamen his, necessitate absoluta, sed hypothetica sive expedientia hoc commendamus. Conf. WALLERII *Syst. Metab.* T. I. §. 35. Quod de philosophia generatim diximus, idem de ejus quoque parte, Theologia Nat. valere quis negabit? Imo inter omnes philosophiæ partes, scientiæ hujus nobilissimæ, pro præsenti Ecclesiæ & generis humani conditione, maximam esse necessitatem contendimus. Quare etiam, imprimis Divinæ Theologiae studiosis, magnopere ejus studium fademus, quo felicius, profanorum hominum, quibus seculum nostrum proh dolor! abundat, conatibus impiis, ad temeranda omnis generis sacra directis, obviam ire, sibiique & Ecclesiæ Christi consulere queant. Ad tantum omnino culmen & fastigium, eo quo vivimus tempore, omnes scientiæ artesque pervenere, ut hoc respectu merito, non solum

voluptate quadam perfundamur, sed felices etiam atque  
 fortunatos nos prædicare possumus; ast tristi & vehemen-  
 ti ab altera parte occupamur dolore, dum eo quo decet  
 affectu perpendimus, ætatem nostram, diversarum opinio-  
 num, circa religionem imprimis, farragine, nefandorumque  
 errorum portentis feracissimam, pietatis vero sterilem esse;  
 ita ut SENECA illud: *Postquam docti esse cœpimus, boni esse  
 desimus*, non immerito de nostris temporibus dici queat.  
 Nemo facile adeo in historiæ literaria est hospes, ut ignoret,  
 multos recentiores impietatis duces & patronos existere,  
 qui aut variis novis machinationibus, callideque excogiti-  
 tatis artificiis, Christianæ Relig. arcem oppugnant, aue  
 antiquorum CELSI, LUCIANI, PORPHYRII, HIEROCLIS, JULIA-  
 NI, aliorumque infensissimorum Christianismi hostium vesti-  
 gia premunt, eorum horrenda dogmata ex orco quasi revo-  
 cant, recoquunt, novis coloribus induunt, imperitoribus-  
 que propinant. Apprime in hanc rem dicit RAMSAY  
*Dans ces derniers temps, on n'a fait que renouveler les anciennes erreurs.* Jordano Bruno, Vanini & Spinoza ont rappelé  
*ce monstrueux système d'Anaximandre.* Et ce dernier à râche,  
*& éblouir les ames faibles*, en donnant une forme géométrique  
*que à ce système*, vid. ejus Discours sur la Mythologie p. 81.  
 Quod hic de nonnullis asserit, id de omnibus fere valere  
 deprehendet, qui vel mediocriter in illorum scriptis est ver-  
 satus. Quem latet, multos extitisse, & adhuc existere,  
 qui, nescio quo furore diabolico acti, aut omnem metum  
 Numinis delere, aut incredibili audacia & impudentia,  
 Christianæ Religioni auctoritatem dignitatemque suam de-  
 trahere, conati sunt? Atro hic carbone, inter multos alios,  
 imprimis notantur TOLANDUS, COLLINUS, WOOLSTONUS, TIN-  
 DALIUS, BARO de la HONTAN, ALBERT RADICATI Comte de  
 PASSERAN, MORGANIUS, MANDEVILLE, MIDDLETON, CHUB-  
 BIUS, C. BLUNT, MURALTUS, VOLTAIRE, EDELMANNUS, MAR-  
 QUIS

quis d' ARGENS, qui se non tantum comites hujus furoris,  
sed duces præbuere. Quomodo quofo, ignarus Theolo-  
giae Nat. hos refrenare & resellere queat? Quibus armis,  
illorum errorum portenta expugnabit? vel ut clarius men-  
tem meam exprimam. Dic fides, qua ratione *Atheismus*, *Deis-  
mus*, *Naturalismus*, *Fatalismus*, *Gentilismus*, *Manichaeismus*,  
*Spinozismus* & denique *Antropomorphismus*, sine peritia Theo-  
logia Nat. redargui & confutari queat? Aqua hic omni-  
bus hæredit, quibus veritates Scientia Nostra latent, &  
frustranei fere illorum erunt conatus, qui ex ejus pharetra,  
tela depromere non norunt. Quomodo de divina Scriptu-  
ra S. origine & auctoritate, secus sententes, sunt convin-  
cendi, nili argumentis ex criteriis divinæ revelationis de-  
ductis, qua Theologia Nat. saltem quod ad maximam par-  
tem suppeditat, utamur? Argumentum ab interno Spritus S.  
testimonio defumum, (quod cum argumentis ex criteriis  
deductis confundunt CARPOVIUS in *Theol. Rev.* T. I. §.  
128. Schol. 3. & SCHUBERTUS in *Introd. in Theol. Rev.*  
§. 265. edit. 1749. quam etiam sententiam pluribus exposuit  
in 2:da *Libri cit.* edit. 1755.) invictissimum quidem est, &  
fundamentum certissimum, cui fides divina, qua originem  
S:æ S:æ divinam credimus, nititur; sed negotium non con-  
ficit in Antiscripturatiis convincendis. Digna omnino sunt  
verba magni MOSHEMII not. ad CUDWORTHI *Syst.*  
*Intell. C. V. Sect. I. §. 93. p. 881.* quæ hic legantur: sunt,  
inquit, qui aperte præcipiunt, *Atheos non esse argumentum* &  
*ratiōnib⁹*, quarum vis humana tantum sit, oppugnādos, ver-  
rum solis suri coacīciū aīctū, in quib⁹ divina virtus sit. E-  
go vero valde periculosa⁹, & multo expositam esse conse-  
cutionib⁹ noxiis, imo in divinam auctoritatem Sacrorum Scri-  
ptorum injuriosam hanc esse sententiam arbitror. Inest certe  
in Sacrorum Voluminum dictis incredibilis virtus ad hominum  
animos stetēnos & concitandos: Sed præparandas tamen an-  
nelloq.

ces & imbuendae velut sunt mentes ad hanc vim recipiendam & impedimenta, quae resistunt ei tollenda. Eodem modo sentit immortalis memoria Theologus JOH. GERHARDUS, dum in *Loc. Theol. T. I. de Scriptura S. C. II. §. 22.* in conversione talium hominum, initium, ab interno Spiritus Sancti testimonio, faciendum esse, negat. Nec alia est mens J. C. STURMIO in *Theosophia, Physicae Hypotheticae adjecta*, dum ad finem ait: *incomprehensibile mihi semper visum est, ut Revolutam admittere Theologiam ullus homo possit, in quo naturalis aliqua existentis Divinitatis cognitio non presupponatur.* Hoc ipso tamen non negamus, posse etiam cum utilitate, in certaminibus cum antiscripturariis, argumenta ex Scriptura S. petita adhiberi; ostendit enim praxis Apostolorum, illos, non solum ex principiis naturalibus, argumenta sumisse contra gentiles, sed & plerumque ad Scripturam S. V. T. provocasse. *Leg. Acta Apostolorum. conf.* quoque BUDDEUM in *Ecclesia Apost.* ubi passim egregie methodum exponit, quam in gentilibus convertendis, Apostoli observabant. Confirmant eandem rem hodierni Missionarii. Imo concedimus, posse aliquando homines, circa ejusmodi præparationem, de divina S:æ S:æ auctoritate convinci. Quod tamen, cum rarum sit, usum pædagogicum argumentorum, quæ Theologia Nat. suppeditat, neutiquam tollit. Conf. præter multos alios, BUDDEUS in *Theol. Dog. L. II. §. XVII.* Novimus quidem multum a viris eruditissimis, imprimis recentiori ætate, de eo disputatum esse, qualis illa de Scriptura S:æ divina origine sit cognitio, certa an probabilis, quam ejus *criteria* nobis suppeditant, præsertim vero illud, quod recentiores rationis admiratores inde sumunt, quod calem S:a S:a nobis Mediatorum ostendat, qualem rationem requirere sibi persuadent? Verum, licet hujus controversiae decisio, ad nostrum nunc non pertineat institutum, difficeri tamen non possu-

possimus, illorum nos præstantissimorum Ecclesiæ nostra  
Theologorum partibus accedere, qui hæc summam tantum  
probabilitatem facere, Spiritus vero Sancti internum testi-  
monium, quod ab interna vi & efficacia Sæc. Sæc., Spir-  
itusque Sancti in Scriptura & per Scripturam loquentis &  
operantis testificatione & ob-signatione oritur, fidem divinam,  
h. e. intimam certissimamque convictionem gignere, con-  
tendunt.

Ut eo magis, insignis hæc Theologia Nat. utilitas  
& necessitas conspicatur, Celeb. WALCHIUS & CAR-  
POVIUS (l. c. §. III. m.) tertiam ei adjiciunt partem, ni-  
mirum Polemicam, quæ in variorum adversariorum objecti-  
onibus, Theologiae Naturalis Dogmaticæ & Moralis vetis-  
tibus oppositis resolvendis & refutandis occupabitur.  
Nec prægnantem aliquam video rationem, cur, inter alios,  
BUDDEUS in Isagog. Lib. Post. C. VII. §. 1. p. 855. Theo-  
logiam Polemicam potissimum circa errores a Theologia  
Revelata arguendos, versari contendat. Etenim tante sunt  
necessitatis dogmata, quæ Theologia Nat. inculcat, ut peris-  
culosius omnino illos errare statuamus, qui scita ejus gene-  
ralia negant, quam qui veritates revelatas impugnant.  
Hoc quum verissimum sit; quid mirum, quod J. THOMA-  
SIUS in Histor. Atheismi, & FRID. GENTZKENIUS in  
Præf. ad Theol. Nat. in neglecto Theologiae Nat. studio,  
& frigida ejus Scholasticorum ætate in Academiis tracta-  
tione, inter alia, caussam querant, cur Atheismo & Super-  
stitioni, nequitia & stultitia fore, in Dei contemnum ma-  
ximumque societatis humanae damnum fuerint reclusæ?

Illos non multum hic moramur, qui, ut necessitatem  
Theologiae Polemicae, & per pronam consequentiam Theolo-  
giae quoque Nat. inficiari queant, aut cum J. LOCKIO  
a dissputationes academicas non veritatem indagandæ, sed ingenio  
offensæ

ostentandi & gloriola captandae gratia, modo fieri iudicant, vid. GENTZKENII *Histor. Phil.* p. 130. aut omnes disputationes & controversiarum resolutiones, imprimis in rebus Theologicis, interdictas esse debere, nec cum pietate & fidei simplicitate consistere posse; sed odii, iræ, rixarum aliquorumque pravorum affectuum caussam existere; Atheis, Naturalistis, aliisque profanis hominibus ansam deridendi Christianam Relig. præbere, existimant. Ne quid de MUSAMEDE dicam, qui in *Atkorano* omnes disquisitiones circa religionem prohibuit; nec non aliis Syncretistis, ut *Herrnhutianis*, quibus ZINZENDORFF non solum lectionem Scripturæ S. sed & omnem rationis usum denegat, vid. ERIC BECKMANS *Inteaning angænde Herrnhutb.* *Seit.* p. 233. 235. alibique passim, & WALCHII *beträckande om Herrnhutiska Seit.* beskafft p. 11. seq. 32. seq. superfluum ex eo capite esse contendens, apologetias pro Deo & religione scribere. Vid. ZINZENDORFF. *Reden für die manns personen* p. 243. Optamus quidem & nos cum piis Theologis, ut disceptationes cum animi acerbitate & infensis affectibus moræ, præcipue circa res sacras, penitus exulent, & ut modus, quem ingenii nostri imbecillitas amoreque Christianus præscribit, hic tam ratione materiae quam formæ obseretur, Deique auxilium ubique devotis precibus imploretur; verum omnes disputationes prius tollere, corditio regni Christi in his terris, imprimis vero hodiernus Ecclesiæ status prohibet. Disputationum abusum & *Ketzariæ* ex intimo corde cum Scriptura S. detestamus & damnamus, 1. Tim. VI, 4. 20. piam vero & modestam disquisitionem & decisionem, tantum abest, ut aut Scriptura S. prohibeat, aut veritates Theologicæ respuant, ut potius, in Scriptis N. T. non duntaxat disputationum, a Salvatore Apostolique, cum Judæis, gentilibus, aliisque hereticis & pseudo-Apostolis institutarum exempla occurrant; sed & nobis

bis injungatur τὸς ἀρτιδέοντας εἰλεγχεῖν. Tit. I. 9. & πι-  
στοῦσιν v. II. Taceo veritatem ipsam in disputatione, CI-  
CERONE teste, limari.

Hæc habui, de præsenti materia quæ dicerem. Ex  
intimis jam ultimo cordis voveo penetralibus, ut acerbissimi  
Divinitatis omnis, Christianique nominis hostes, qui seculi  
nostrí otium violent, perturbant, evertunt, in gyrum ratio-  
nis & sanæ doctrinæ se duci patientur! Erubescant tan-  
dém in sanctam salutis nostræ doctrinam, ea qua solent  
effusa licentia, plenoque ore, abominanda convicia eructare!  
Desinant solidissima pro veritate religionis nostræ argumen-  
ta sarcasmo excipere! Discant petulantis rationis obmurmura-  
rationes supprimere! Debitaque nunquam attentione, horum  
SENECA in Praef. ad Qu. Nat. verborum recordari inter-  
mittant: O quam contenta res est homo, nisi supra humana se  
erexerit; & CHRYSOSTOMI in Homil. V. in 2. Corinth.  
in fin. Homo es, ne aspicum virus evomas. Homo es, ne in bel-  
luam degeneres! Ob eam caußam tibi os datum est, non ut mor-  
deas, sed ut aliorum vulneribus mediaris!

Triadi Sit Gloria Soli.

### CORRIGENDA.

Pag. 41. lin. 5. leg. actualitatem. p. 46. l. 21. leg.  
pergunt. p. 53. l. 11. leg. dicunt se ea. p. 57. l. 17. leg.  
acerbime. p. 61. l. 29. leg. Pract. p. 62. l. 20. leg. uer-  
itas. p. 67. l. 20. leg. habere. p. 71. l. 26. leg. in-  
quit. p. 72. l. 25. leg. L. I. C.



à Monsieur de SANNHOLM

Monsieur

**L**es peines, que Vous avez prises pour mes études & mon éducation, sont plus grandes que celles que ma foible plume peut dépeindre avec les louanges qu'elles méritent. C'est aussi à votre diligence, Monsieur, que je dois tout mon savoir, & ce sont vos bons & instructifs avertissements qui ont tâché de reveiller dans mon cœur l'amour pour la vertu.

Permettez donc, Monsieur, que dans cette agréable occasion je marque la joie, dont je suis pénétré de la gloire & de l'honneur, que Vous allez vous acquerir en défendant cette savante dissertation & soyez persuadé que personne ne fait des vœux plus sincères pour Vous, Monsieur, afin que la Tout puissance daigne Vous combler de toutes prosperités & vous faire jouir d'une récompense proportionnée à vos travaux assidus. Je suis avec beaucoup d'estime & d'amitié

MONSIEUR

Votre très humble serviteur

JEAN ADOLPHE AMINOFF.

